

ternam executionem importet, hinc merito P. Thesaurus, De pœnis cap. 2. v. Episcopus, docet hanc pœnam non obligare ante sententiam iudicis.

48. Consecratio autem Episcopi jure communi fiebat ab Archiepiscopo, qui hoc munus alteri poterat committere. Archiepiscopus a suis suffraganeis consecrabatur. Inter hos autem senior eligebatur. Si Episcopus nulli subiciebatur Archiepiscopo, consecrabatur a Viciniore. Ad corrigendos præsertim abusus Metropolitanorum qui exigebant a suffraganeis juramenta et obedientiam ultra canones, factum est ut consecrationem sibi reservaverint Romani Pontifices; quam consecrationem vel per se perficiunt, vel alteri faciendam committunt, quæ si Romæ est celebranda, generatim committunt alicui ex S. R. E. Cardinalibus vel Patriarchis majoribus titularibus.

49. Porro consecratio perficitur a tribus Episcopis quorum unus consecrator appellatur, alii duo conconsecrantes seu adsistentes. Quæ ratio consecrationis perficiendæ non divinæ institutionis esse traditur, sed ex disciplina simpliciter apostolica inducta dicitur. Quare suprema potestas in Ecclesia potest in ea dispensare, ac facultatem concedere, ut unus tantummodo Episcopus consecrationem perficiat cum duobus presbyteris adsistentibus, qui si fieri potest dignitate ecclesiastica fulgere debent. Confertur vero consecratio vel die dominica vel die natali alicujus Apostoli, et intra Missæ celebrationem, in qua Episcopus consecrandus sacrum peragit cum Episcopo consecrante.

Per consecrationem Episcopus fit vere sponsus Ecclesiæ suæ conjunctus cum ea in vinculo spiritualis conjugii c. 4. de Transl. Episcopi.

TITULUS V.

De Postulatione Prælatorum.

1. Cum titulus de postulatione plura habeat communia cum titulo jam explicato de electione; cumque postulatio censeatur subsidiaria electionis, hinc optimum factu duximus tractatum de electione præponere tractatui de postulatione. Ex principiis capp. 20. et 23. De Elect. potest postulatio definiri 'capituli petitio destinata superiori, ut ad prælaturam ecclesiasticam dispensative dignetur admittere illum qui ob aliquod canonicum impedimentum

eligi non potest'. Convenit postulatio cum electione in scopo, utraque enim est modus juridicus designandi pastorem pro ecclesia viduata. Differunt vero in pluribus: 1^o. Electio cadere non potest nisi in idoneam personam nulloque impedimento ligatam; postulationis vero subjectum est persona inhabilis ad talem prælaturam ob aliquod impedimentum canonicum a quo debeat dispensari. Ex quo sequitur 2^a. differentia, scilicet electio jus ad prælaturam tribuit confirmatione supplendum, postulatio autem nullum jus tribuit postulato, nec superior tenetur admittere petitionem. Actus enim hujusmodi in jure dicitur potius actus gratiæ quam justitiæ, dum confirmatio electionis est potius actus justitiæ c. 3. h. t. Unde in hac Decretali Innoc. III. non admittit postulationem S. R. E. Cardinalis et Episcopi Imolensis ad sedem Ravennatensem.

2. Quod si aliquando postulatio a superiore debet, ipso jure disponente, admitti ob publicam causam, hæc dispositio procedit ex Ecclesiæ necessitate, et non in gratiam postulati quatenus aliquod jus acquisierit. Ipse enim defectu sive impedimento laborat quominus de prælatura provideatur. Quare postulatus per acceptionem absolutam consentire non potest in postulationem, nisi preces jam a superiore fuerint admissæ. — Hinc 3^a. datur differentia. Juxta c. 58. de Elect. completo negotio de electione per scrutinii publicationem, electores nequeunt electionem revocare. Postulatio autem revocari potest quia quæsitum jus non parit postulato. At revocari nequit postulatio si fuerit superiori præsentata, quia si revocaretur post præsentationem, injuria inferretur superiori cujus judicium frequenter illuderetur c. 4. h. t.

4^a. Differentia respicit numerum suffragiorum. Postulatio enim si cum electione concurrat, necesse est ut postulantium numerus sit duplo major eligentium c. 40. de Elect. Si vero omnes Canonici postulare cupiant, discriminentur autem circa personam, illa postulata censebitur in quam concurrat major Capituli pars.

3. Postulatio dividi solet in solemnem et non solemnem seu simplicem. Solemnis postulatio seu postulatio proprie dicta, cui definitio superius allata convenit, tunc obtinet cum ab electoribus preces admoventur superiori, ut dignetur dispensare circa defectum et impedimentum canonicum alicujus personæ, quæ esset ad prælaturam promovenda. Postulatio non solemnis locum habet cum exposcitur solummodo licentia et consensus superioris postulati,

qui assumi non posset absque consensu proprii superioris: ceu contingit in Religiosis si velint promoveri ad Episcopatum.

4. Porro ex hac notione sequitur proprie dictam postulationem fieri ordinarie debere ad Romanum Pontificem; cum enim dispensatio ab impedimento importet relaxationem juris communis, postulatio proprie dicta admitti nequit non nisi ab eo qui est jure ipso communi superior. At extraordinarie admitti potest ab immediato superiore si hic ex privilegio speciali vel ex consuetudine legitime præscripta jure polleat dispensandi circa defectum quo postulatus laborat.

5. Quæstio instituitur: quinam postulare, qui postulari possunt. — Postulare possunt omnes qui habent jus eligendi. Postulatio enim ad eundem scopum dirigitur ac electio, et inducta est in subsidium electionis; ut scilicet cum quis ob defectum canonicum eligi non posset, preces admoverentur superiori, ut, dispensatione facta, eum in Prælatum admittat. Principium vero a nobis expositum ab omnibus communiter auctoribus recipitur, ac sufficienter innititur in capp. 1. §. fin. 4. h. t. et cap. 20. de Elect. Roboratur autem in consequentibus. Nam in mandato generali ad eligendum censetur inclusa facultas ad postulandum. c. 30. et glossa ibi de Elect.; et præscripto jure eligendi, censetur etiam præscriptum jus postulandi. Quare prima pars quæstionis solvitur juxta principia explicata in tit. de Elect.

6. Postulari autem possunt qui eligi nequeunt, et possunt simul promoveri ad prælaturam. Et primo quidem postulatio prorsus cadere non potest in personam quæ potest eligi, et nulla est c. un. h. t. in 6°. Quia jus determinat quandonam postulatio fieri debeat; idest quando persona eligi nequeat. Igitur si persona eligi potest, aut eligenda est, aut excludenda. Ut autem postulatio valeat, persona in ea conditione versari debet, ut possit ad prælaturam promoveri.

7. Quod ut rite intelligatur, distinguenda est indignitas ab inhabilitate. Indignus in vero sensu quis constituitur ex crimine. Hinc ex crimine indignus est hæreticus, homo delictis communibus adsuetus, excommunicatus, suspensus, et is qui non observat interdictum c. 1. h. t. cum glossa v. Personam. Inhabilis ille censetur qui laborat defectu, qui opus ministerii sacri tantummodo impedit. Porro postulari non possunt indigni. De inhabilibus

autem videndum est utrum defectus qui impediat opus sit juris divini vel ecclesiastici tantum. Si juris divini sit defectus, persona illo laborans postulari nequit ex. gr. femina ob inhabilitatem ex sexu derivantem. Inhabilis etiam jure divino est infidelis et nondum baptizatus. Humana enim auctoritas in jure divino dispensare nequit. Si autem juris ecclesiastici sit defectus, poterit fieri postulatio, quoties defectus non impediat quominus postulatus perficiat opus ministerii sui utiliter simul et honeste. Utiliter opus perficere nequit amens, furiosus, illiteratus; honeste non perficit spurius, procreatus ex incestuoso vel adulterino connubio; imo etiam bigamus. Utiliter etiam opus non perficeret quicumque minor 27. anno expleto ad Episcopatum promoveatur Extrav. un. h. t. inter Commun.; nec non qui notabilem corporis deformitatem passus est, aut etiam epilepticus sit. Quare ex hisce defectibus non solet a sum. Pontifice concedi dispensatio. Ergo hi postulari nequeunt, licet defectu laborent juris tantummodo ecclesiastici.

8. Postulari ergo possunt 1°. qui laborant simpliciter defectu natalium, idest sunt illegitimi naturales c. 20. de Elect. cujus species hæc est: cum a Capitulo Vigoriensi electus fuisset in Episcopum quidam natus extra legitimum Matrimonium a viro tamen et muliere omni vinculo solutis, Innocentius electionem irritam dixit; admonuit vero Canonicos posse ipsos eundem postulare, qui virtutibus et scientia fulgebat. 2°. Postulari potest qui Ordinis ad prælaturam requisiti defectu laborat arg. c. 22. de Elect. 3°. Qui major annis 27 minor vero est anno 30. ætatis suæ arg. Extrav. un. h. t. inter Commun. 4°. Qui vinculo Episcopali cum alia Ecclesia obligatur c. ult. h. t. Qua in re aliqua declaratio est facienda. Primo autem non postulatur vel qui est tantum electus in Episcopum alterius Ecclesiæ, vel qui legitime episcopatu renuntiavit; uterque enim vinculo spirituali erga aliquam Ecclesiam non adstringitur. Postulatur autem Episcopus vel confirmatus et consecratus, vel is etiam qui electus et simul confirmatus est. Ceu enim tradit Pontifex in cap. ult. de Translat. Episcoporum. connubium spirituale inter Episcopum et Ecclesiam redditur legitimum et ratum idest firmum suaque ratione indissolubile per confirmationem; quod proinde vinculum per confirmationem contractum impedit quominus in alicujus Ecclesiæ episcopum confirmatus et in alterius Ecclesiæ pastorem eligatur. Potest ergo solummodo postulari. Pariter eligi non possunt sed postulandi sunt qui titu-

lum tantummodo Ecclesiæ habent, quin ejusdem negotia administrent, quique 'in partibus infidelium' Episcopi vocantur; hodie autem ex decreto anni 1882. sublata appellatione 'in partibus infidelium' vocantur Episcopi titulares talis vel talis Ecclesiæ. Episcopi enim isti sedem quæ cathedralis dicitur Clem. 5. de Elect. adsignatam habent, licet ob infidelium imperium Clero careat et populo quem visitent et sacramentis ac doctrina reficiant, et in jure veri Episcopi sunt Conc. Trid. sess. 14. c. 2. de Ref. et ad Ecclesiam accedere tenentur statim ac infidelium obstacula remota fuerint. Pariter Episcopus in Archiepiscopum postulatur et non eligitur.

9. Occasione hujus tractationis aliquid dicendum est de S. R. E. Cardinalibus. Certum est, Cardinales, qui ad Ordinem episcopalem pertinent, ob spirituale conjugium cum Ecclesia sua, eligi non posse, sed postulari debere; cæteros vero eligi posse sed postulari minus solemniter. Minus vero solemniter postulatur qui per se idoneus est et habilis sed acceptare nequit Episcopatum absque alterius licentia. Jamvero S. R. E. Cardinales eligi possunt ex c. 57. de Elect. nec suis titulis ita conjunguntur, ut plene verificetur ratio conjugii spiritualis, quo Episcopi obligantur. At ipsi constituunt senatum Romani Pontificis ac in executione sacerdotalis officii illius coadjutores sunt c. 13. §. 'sunt autem sacerdot.' t. Qui filii sunt legitimi. Ergo a Romana Curia divelli et discedere nequeunt, nisi obtenta a Romano Pontifice facultate et assensu. Hinc eligentes S. R. E. Cardinalem Papæ admovere preces tenentur, ut licentiam Cardinali electo concedat exeundi de Curia ac episcopale munus subeundi. Quam licentiam summus Pontifex potest denegare, et electio effectum suum non sortitur. Exemplum affert caput 3. h. t. in quo Cardinalis Presbyter S. Praxedis dicitur postulatus, postulatione nempe minus solemniter in sensu exposito in Archiepiscopum Ravennæ, et Papa noluit Cardinalem a Curia divelli.

10. Postulatio etiam minus solemniter obtinet cum aliquis ex regularibus familiis eligitur, qui acceptare nequit, nisi petita et obtenta superiorum licentia; speciali enim et solemniter obedientiæ voto adstringuntur. In utroque casu non obtinet solemniter et proprie dicta postulatio, quia persona quæ assumitur non ligatur vinculo spiritualis conjugii; quæ minus solemniter postulatio est revera electio conditionata, nempe 'si superior licentiam concesserit'.

11. Pœna contra postulantes scienter indignum *ex cap. 40. de Elect.* circa fin. est ut pro illa vice careant jure alium vel postulandi vel eligendi. Quod erui potest etiam ex c. 1. h. t. in fin. Potestas vero pro ea vice eligendi et postulandi ad innocentes devolvitur quamvis numero pauciores. Ex c. 2. h. t.

12. Quæstio 2^a. de forma postulationis. — In postulatione solemniter non est absolute necessaria forma scrutinii, ita ut si secus fiat, nullius momenti actus celebretur; nam nullibi hæc forma præscribitur, et insuper postulatio multum differt ab electione, quemadmodum vidimus. Sufficit ergo ut suffragia Capitularium cognoscantur. At præsertim ad evitanda dissidia et lites futuras, tutius est scrutinii normas sequi juxta dispositionem *cap. Quia propter 42. De Elect.* In postulatione vero maxime observandum est ut ab electione secernatur, nec forma electionis est cum postulatione confundenda; diversum enim est prorsus negotium tum in se tum quoad personam. Electio scilicet est actus legitimus collationis juris ad rem; postulatio nullum jus confert et ad modum deprecationis perficitur. Eligitur autem persona idonea, postulatur vero inhabilis. Quare si in una eademque scheda proferatur suffragium ad eligendum et postulandum, neutrum valet. Hinc ceu nullius effectus rejiciuntur formulæ: 'eligo postulando' vel 'postulo eligendum', vel 'eligo in postulandum', vel 'postulo in eligendum'. Imo nec generatim valet hæc formula 'eligo et postulo prout potest melius de jure valere'. Excipitur tamen casus dubii probabilis, an persona quæ vellet assumi sit habilis vel non. Hoc in casu permittitur ultima formula. Sed habita notitia electus vel postulatus debet declarare an viam electionis vel viam postulationis prosequi malit, et una electa, ad aliam redire nequit. Hæc omnia in c. un. h. t. in 6^o. perhibentur.

13. Convenientibus Capitularibus in aliquem postulandum, idest completa postulatio debet infra octo dies postulato pateferi; et postulatus infra mensem suam voluntatem pandere tenetur, utrum nempe renuat acceptare, vel acceptet sub conditione obtinendæ dispensationis defectus vel impedimenti quo detinetur. Arg. c. 6. de Elect. in 6^o. Hæc dispositio posita est in jure, ut provideretur citius quo fieri potest novus pastor, et ne diu protrahatur Ecclesiæ viduitas.